

TABULA 797.

STAPELIA MACULOSA.

PENTANDRIA DIGYNIA.

CHAR: ESSENT: *Corolla* sub-carnosa rotata. *Corona* gynostegii plerumque duplex, externa ligulas, interna rostra cum alis s. appendiculis formans. *Massae* pollinis geminae basi unitae.

STAPELIA *maculosa*: corolla ciliata maculosa, ramorum erectorum dentibus patentibus. C. SPRENGEL, *Syst. veget. Vol. I. p. 858.* v. JACQ. *Stapeliae cultae, Fasc. II.*

Habitat ad Caput bonae spei. 2.

RAMI numerosissimi, basi imprimis ramosi, erecti, glabri, semi-pedales et ultra digitum crassi, virides, adulti leviter purpurascens, tetragoni, angulis dentatis, dentibus patentibus, tandem in cuspitem densissimum amplumque connati, lineolis transversis notati.

PEDUNCULI in ramis junioribus inferne, tres- quatuor-ve aggregati, uniflori, teretes, pennam columbinam crassi, duas et ultra uncias longi, glabri, purpurascens, debiles.

CALYCIS foliola 5 lanceolata, acuta, glabra, concava, patentissima, pallide virentia. *Corolla* foetidissima, plus quam tri-uncialis diametri, semi-quinquefida, patentissima, tandem semi-revoluta; foris omnium planissima, cum virore pallens, sordide sanguineo-maculata, septem lineis purpurascens longitudinaliter percursa, glabra; intus ex flavo pollens, tota maculis transversis, oblongis, ferrugineis, et vix elevatis variegata, hinc nec striata, nec rugosa. Haec maculae versus orbiculum magis sanguineae sunt, et ad petali apices per lentem varie denticulatae. *Tubus* spurius et pelviformis, factus ab orbiculo; *lacinae* ovatae, acutae, ciliatae. *Orbicularis* solidus, interne hirtus, ex rubro flaventique variegatus.

NECTARIUM: *saccus* ex atro-sanguineo pallidoque fasciatus. *Rostra* teretia, obtusissima, erecto-recurvata, virescentia, cum punctis sanguineis. *Alae* teretes, obtusae, eodem cum rostris colore, iisdem paulo breviores. *Ligulae* oblongae, apice trifidae, patentissimae, planae, utrinque ex viridi pallentes, punctisque atro-sanguineis adpersae. v. JACQ. l. c.

Planta naturali magnitudine.